



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 59. Dissidia inter Canonicos Comites Lugdunenses, & Decanum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

sed etiam in arcanos Judaicæ supersti-  
tionis suæ ritus commentati sunt, ex  
Hæbraico in latinum idioma transtulit,  
quæ opera omnia Protestantes in septem  
volumina redigi, ac typis vulgari  
curarunt. Eo defuncto in ejus locum  
Argentina Tigurum vocabatur Petrus  
Martyr Vermilius, qui tamen, ut nu-  
per memoravimus, inde in Angliam  
reversus est.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1555.

§. LIX.

*Dissidia inter Canonicos Comites Lug-  
dunenses, & Decanum.*

Hoc anno Facultatis Theologicæ Pa-  
risiensis sollicitudo præcipue intenta  
erat sopiendæ contentioni, quæ propter  
Lugdunensis Capituli consuetudinem,  
vi cujus sub Sacræ Hostiæ elevatione  
in Missæ sacrificio genua non flecteban-  
tur, inter Decanum, ac Canonicos fuit  
exorta; nam hunc morem Decanus im-  
mutare voluit, contendens, Sacram  
Hostiam, dum in Missa elevatur, flexis  
genibus esse adorandam, ac propterea  
damnabat illum hujus Ecclesiæ morem,  
juxta quem Canonici sese dumtaxat in-  
clinabant. Ex adverso veterem hanc  
consuetudinem tueri volentes asseriebant,  
quod Lugdunensis Ecclesia novas con-  
suetudines non recipiat, prout Sanctus  
Bernardus legitur testatus. Hæc alter-

U 4

catio

Sæcul. XVI  
A C 1555  
catio indies magis magisque, effervescebat, cum enim Decanus nomine Theodorus Bichy Champron dictus Parisiensis Doctor, ringentibus etiam Canonicis suis, sententiam suam propugnare vellet, Facultatis Theologicæ Parisiensis iudicium expetebat circa quæstionem, quæ huic disceptationi ansam præbuit, eique etiam plura alia subjungebat dubia, circa quæ pariter Doctorum sententias rogabat: itaque ad Decani preces Facultas hac super re deliberata die decima octava Aprilis in Collegio Sorbonico conventum habuit.

§. LX.

*Articuli a Decano Parisinæ Facultati propositi.*

*Argentre  
Collect. inde  
de novis err.  
tom 2.  
p. 195.*

Porro Decani petitio tribus circumscribatur articulis, quorum primus his verbis exponebatur. „Invaluit in hac Ecclesia diversus cultus, „qui tamen haud adeo decens videtur, „quamvis enim omni tempore nonnulli „præstantioris etiam conditionis Ecclesiastici, Canonici, & pueri choro assistentes ad Sacræ Hostiæ elevationem „genua flectant, alii tamen sub fictitiæ „consuetudinis obtentu uno genu, alii „utroque genu supra suum sedile imposito „Sacramentum haud majori reverentia, „ac si erecti stetissent, adorant. Equidem